

Variatum, verit, de futuris prorsaga est; Clemens, VI Strom. conficit futura; Anastasius Nicenus, Quæst. LXXVIII, futura exquiri; Pagninus, futura imaginantur; ergo præter « effata sapientum, (qui anticipacione sapientie futura sagaciter prævident, ac salubriter præcitant) fata reliqua fata sunt delirantium pronuntiata. »

SCIT VERSUTIAS SERMONUM. — Græce, ἀπειρία, a ἀπειρία (id est verbo, verso, versute ago, torqueo, circumago), sicut versutia dicuntur a verbo vel verso, quod per eas plana res versatur in obscurum et alienum sermonem, sive per acutas et subtiles sententias, quales sunt parabole, ut patet Eccli. XXXIX, 9, et II Reg. XIV, 20; sive per verba dolose et fraudulenter ad fallendum composita, quales fuere questiones captiosæ a phariseis Christo proposte, ut eum caperent in sermone, sed a Christo per sapientiam deprehensæ et dissolute, Matth. XXII, 15 et seq. Talia quoque sunt sophisticata sophistarum, præsertim hæreticorum, quæ dissolvit et resolvit dialectica; unde ego cognitionem sapientie commendat auctoritate et exemplo Christi et Pauli, S. Augustinus, lib. I Contra Cresconium, cap. x et seq. Audi Clementem Romanum, lib. I Constit. cap. VI, ubi lectorem a lectione gentium ad lectionem S. Scripturæ traduci: « Nam quid, inquit, in lege dei desideras? sive enim historias legere cupis, habes libros de Regibus; sive sophisticata, id est quæ argute ad sapientiam referuntur et poetica, habes Prophetas, Job, Proverbia, in quibus plus acuminis, quam in omni poesi et sapientia sophistarum reperis, quod is, qui solus sapiens est, illa effatus est; » ubi per sophisticata intelligit dialecticam, quæ sophisticata ad sophisticata contenda abutebantur.

DISSOLUTIONES ARGUMENTORUM. — ingeniosorum, occultorum et argutorum; unde græce est ἀνιγνισμὸν, id est questionum obscurarum et difficultatum explicatio, solutiones: enigma enim est gryphus, sive scirpus, id est sermo nodosus et involutus; sive, ut Valla interpretatur, allegoria obscurior, quam divinare magis, quam interpretari oporteat, qualis est illa Samsonis de favo mellis in ore leonis invento, Judic. XIV, 14: « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo: » vide dicta Proverb. I, 6. Hinc, III Reg. x: « Regina Sabba, audita fama Salomonis, venit tentare eum in enigmatibus; et docuit eum Salomon omnia verba, quæ proposuerat; non fuit sermo, qui regem posset latere, et non responderet ei. » Et Josephus enigmatum certamen a Salomone cum Hiram rege Tyri initum narrat, lib. VIII, cap. II: « Questiones enigmaticas Tyrus rex ad Salomonem transmisit. At ille callens hujusmodi rerum ac prudentissimus, nihil inexplicatum reliquebat, sed omnia ratione pervincens apertissime declarabat. » Et Eccli. XLVII, 16: « Terram, inquit, retextit anima tua, et replesti in comparationibus enigmata. »

Signa de novis (græce, σημεῖα), id est prodigi-

gia) sicut antequam fiant, — q. d. Sapientia præcavit futuras eclipses, æstus, frigora, pluvias, ventos, tempestates, sterilitatem, fertilitatem, pestem, morbos, etc., ex mathesi et signis ætæ, theologice ac prognosticis: ita Cantacuzenus, Prodigia dicuntur monstra, quod futura præmonstrant: audi Ciceronem, lib. II De Natura deorum: « Prædeterminationes, prædictiones et pressensiones rerum futurarum, quid aliud declarant hominibus, nisi ea quæ fiunt ostendi, monstrari, portendi prædici, etc., ex quo illa ostenta, monstra, portenta et prodigia dicuntur. » Prodigium autem, ait Servius in III Æneid., est quod « in longum tempus dirigit significationem: » ita dictum « quasi porro adigendum, » ait Nonius Marcellinus.

EVENTUS TEMPORUM ET SECLORUM. — Græce, κἀνὰ τὰς αἰῶνας, id est opportunitatum et temporum, q. d. Sapientia solerter prævidet et prospicit futuras rerum opportunitates, commodaque tempora ex signis prævisis, præsertim meteorologicis jam dictis; unde iis ad eum et republicæ bonum prudenter et fructuose utitur.

9. PROPOSUIT ERGO HANC ADDUCERE EMI AD CONVIVENDUM: SCIENS QUONIAM MECUM COMMUNICAT DE BONIS, ET ERIT ALLOCUTIO COGNATIONIS ET TEDI MEI. — Perperam Lyranus, Dionysius et Glossa legunt, ad convivandum, legendum enim, id est ad convivium, nam græce est ἐπιπέμπω, id est ad convivium, hoc est ad contubernium, ad familiarem conversationem. S. Ambrosius, lib. De Viduis, legit, proposuit ergo adducere eam mihi in convivium: conjuux enim est perpetuus conviva suæ conjugii, nam S. Ambrosius eo loco magis videtur ad hunc versum respicere, quam ad vers. 2.

COMMUNICABIT DE BONIS. — Græce, ἑταίρια ἀγαθῶν, id est, erit consularia bonorum, que scilicet mihi bona dabat consilia, ait Vatablus; vel potius, erit communicatrix bonorum: symbola enim vocantur collationes, v. g. convivia, in quibus quisque conviviarum suum confert epulum in commune symbolum, de quibus Proverb. XXII, 21.

ET ERIT ALLOCUTIO COGNATIONIS (græce, ἐπιπέμπω, id est curarum, cogitatio enim est elymo est mentis agitatio, collectio, coactio, ait S. Augustinus, X Confess. XI; hinc cogitatio in Scriptura sæpe notat anxiam mentis intra se fluctuantis disceptationem, ut patet Matth. XXI, 23, et XV, 19; Luc. I, 29, et alibi) ET TEDI MEI. — Allocutio, id est consolatio, blanda enim allocutio est consolatio afflicti. Græce, ἀπαρτήσις, id est exhortatio, consolatio, ut Cælius; lenimentum, ut Vatablus; moderatio, ut Glossa; sa. Est hæc decima dos sponsæ, puta sapientie, quod sponso suo communicat sua bona, ejusque sollicitudines, labores, dolores et merores, suæ prudentie alloquio et consilio leniat et solvitur. ad hoc enim uxor data est viro, ut sit in adiutorium vite tam misere et calamitose, Gen. II, Hinc illud, Gen. II, 14: « Ducam enim in solite-

dinem, et loquar ad cor ejus, » id est blande consolabor eam. Adde ex Agrest. Grammat.: « U loqui est hominis, eloqui oratoris, obloqui obtreccatoris, sic alloqui est suadentis, vel hortantis, vel blandientis: » Hoc est illud celebre: « Laborantis visitatio (et magis allocutio) laboris est sublevatio: » id videre est in agris et agricolis. Audi S. Gregorium, lib. V Moral. cap. v: « Laborantem consolari, est pariter in labore persistere: quia sublevatio est laboris, visitatio collaborantis, sicut cum in itinere comes jungitur, via quidem non abstrahitur, sed tamen de societate comitis levatur labor itineris, » juxta illud: « Comes faciendus in via pro vehiculo est. » Talis est sapientia.

TEDI MEI. — Græce, ὀδύνη, id est tristitia, doloris, meroris mei: id ipsum expertum sa fatetur Severinus Boetius in carcere, scribens libros De Consolatione philosophica, æque ac Thomas Morus in carcere Anglicano commentans in passionem Christi: idem experiuntur omnes sapientie studiosi. Si tantam voluptatis dulcedinem, ait Cervantius, ob amorem sapientie ex Ciceronis Hortensio hausisse se fatetur S. Augustinus, lib. III Confess. cap. IV, « ut fastidium ac tedium ex altorum rerum studio, unius philosophiæ amore levaret; (quam Cicero, II Offic., vocat « oblectationem animi, requiem curarum non modo a sollicitudine abducentem, sed contra omnes fortunæ impetus strenue armantem, » et lib. XII, epist. fam. in 23, et Tuscul. V, vite tranquillitatem largientem) quanto, queso, id omne præstantius præstat, non studium adumbrata sapientia, que est philosophia, sed sophia ipsa, suo contubernali et sponso, seipsa et allocutio sua? et quam belle hæc omnia conveniunt in eandem increatam, incarnatam, in Eucharistia nos ad suum contubernium, convivium, conjugium, convivium, communionem, consilia, munera, communicationem bonorum omnium, allocationem invitantem, et admittentem cupidum sui?

10. HABEO PROPTER HANC, CLARITATEM AD TURBAS, ET HONOREM APUD SENIORES JUVENIS. — Pro claritatem græce est δῆξα, id est gloriam, splendorem, majestatem: pro honorem græce est τιμή, id est honorem, pretium, existimationem inelctam. Decem sponso doliibus hucusque recensitis, deinceps quatuor alias adjungit. Undecima sapientie dos hæc est, quod sponso licet juveni, conciliet gloriam apud populum et honorem apud senes: exemplo sit Salomon toto orbe, per omnia secula, ob sapientie famam celebris et gloriosus. Sic Plato in Sophist. ait, sapientem esse divinum ac diis similem, ideoque summis honoribus decorandum.

JUVENIS. — Multi id referunt ad sequentia: et acutus inveniar; verum obstat et: quare Romani cæterique emendatores referunt ad et seniores, quod præcessit, q. d. Sapientia facit ut sapiens, licet etate juvenis, honoretur non tan-

tum a juvenibus sibi coævis, sed etiam a senibus, a quibus licet superetur etate, eosdem tamen superat sapientia, ut contigit Salomonis, Job, Daniël, Joanni Baptistæ, Christo et apostolis: ita Cantacuzenus, Vatablus, Osorius, Clarius, Jansenius, a Castro et alii. Mystice sapiens, id est virtute pollens, vocat se juvenem, esto senex sit, quia in virtute nunquam flaccescit, in fervore nunquam tepescit, nunquam in bonis operibus fit imbecillior, sed dum quotidie proficere satagit, et robustior in bono fieri, floridam sapientie juventam retinet et conservat, juxta illud Psalm. LXXXIII, 8: « Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. »

11. ET ACUTUS INVENIAR IN JUDICIO, ET IN CONSPPECTU POTENTIUM (græce, ἐπιπέμπω, q. d. dynastiarum) ADMIRABILIS ERO, ET FACIES PRINCIPUM ADMIRABUNTUR (Arias, stupent) ME. — Ultima hæc pars deest in Græco: sapientia enim facit homines acutos, ut recte de re qualibet in judicio, sive forensi, sive privato judicent, ipsumque punctum difficultatis sagaciter tangant et acute resolvant, ut fecit Salomon in judicio meretricum, de quo apposite S. Ambrosius, II Offic. cap. VIII: « Propterea scriptum, ait, III Reg. III, 28: Audivit omnis Israel judicium quod judicavit rex, et timeverunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium. Nec immerito, inquit, aestimatus est intellectus Dei esse in eo, in quo occulta sunt Dei: quid autem occultius, quam interiorum viscerum testimonium, in que sapientis intellectus, velut quidam pietas, descendit arbiter, et velut quidam genitalis alvi venter eruit, qua maternus patuit salomonem? » et cap. X: « Justum et sapientem appellat Salomonem in hoc judicio, justæ censuræ et callide inventionis pleno; » et lib. III De Spiritu Sancto, cap. VII: « Non nisi Spiritus Sancti munere Salomonem potuisse dici, feminarum latentem conscientiam penetrare, idque gladio spiritus acutissimo. » Addit Josephus: « Ex illa die populus velut divina mente præditio obtemperabat. »

ADMIRABILIS ERO. — Id est, me meaque sapientiam mirabuntur et obstupescunt, ideoque hiant ore excipient et venerabuntur potentes et dynastæ. « Gloria summa, ait Cicero II Offic., constat ex tribus his: si diligit multitudinem, si fidem habet, si cum admiratione quadam nos honore dignos putat. » Græce est, ἐξυπνίσθηται, id est admirationi ero, admirationem meo conceitabo, pro tentosus ero, instar celestis Iridis, que ab admiratione hominum, tantam ejus colorum varietatem et speciem admirantium, Græcis dicta est *Thaumantias*, quasi admiranda: sicut enim Iris et reverberatione radiorum solis suam formam haurit admirabilem, sic ego ex irradiatione sapientie divine hauriam omnem meritum judicii et ingenii splendorem, quem omnes admirabuntur. Quare Severinus Sulpitius, lib. I Sacri. histor., in Salomone, sic ait: « Ita in admiratione ingenii præ-

dentique ejus reges vicinarum gentium amicitiam ab eo fœdusque peliere, parati imperata facere. » Longe veriora sunt hæc in Christo, qui est Sapientia incarnata, cujus sapientiam obstupuerunt turbæ, juxta illud, *Luc. XIX, 48*: « Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum; » græce, *pendebat suspensus animo*; Syrus, *pendens erat ab eo ad audiendum eum*; et ministri ad eum capiendum missi, rogati a Scribis, cur eum non adducerent, responderunt, *Jonn. VII, 46*: « Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. »

Hæc ingeni et acuminis dote inter omnes Patres et doctores Ecclesie, velut aquila excellit S. Augustinus, cui præinde jure meritoque hæc elogia assignat S. Prosper, *lib. III De Vita contempl. cap. xxxi*: « Sanctus Augustinus episcopus, ac Cō ingenio, suavis eloquio, secularis literaturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostræ catholicæ, in questionibus solvendis acutus, in revincendis hereticis circumspicatus, et in explicandis Scripturis Canonice cautus. » Et Concilium Toletanum VIII, cap. II, anno Domini 683: « Sanctissimus Augustinus, inquit, vestigationis acuminis cautus, inveniendi arte præcipuus, assendi copia profusus, eloquentie flore venustus, sapientie fructu fecundus. »

12. TACENTEM ME SUSTINEANT (sustinebant ut loquar) ET LOQUENTEM ME RESPICIENT (græce, *loquenti attendent*, id est ore et oculis intenti in me loquentem attendunt), ET SERMOCANANTE ME FLURA (diutius me perorante) MANES ORI SUO IMPONENT, — silentium sibi indicentes me attente auscultabunt, præ voluptate et admiratione mearum sententiarum: audi Cantacuzenum hæc paraphrasice explicantem: « *Ero coram dynastis in administratione, dum ad meam solertiam industriamque respicient, rerum ingeniosam interpretationem, et promptam questionum facilemque declarationem: me tacente præstolabuntur, et me loquente attendent, neque tumultuantur*; vel dum me ipse colligo, aut tacitus ad memoriam revoco, quas sunt mihi dicenda, vel dum pergo dicere, resque illis gratissimas ac jucundissimas porrigo; quod si congerit, ut in his quoque sim longior, diligenter tamen ad ea que dicentur attendent, et ne hiscent quidem: quin etiam si adhuc longius feramur impetu quodam: sibi ipsi ora obstruent admota manu. » Sic *Aenea perorante*, Dido ejusque assectæ admirantes,

Cantacuzenum omnes, *scilicet* ora tenebant,

sic Virgilius, *Aeneid. II*: magna enim vis est in ore, oculis et vultu dicentis, ait Plutarchus, opuscul. *De Audit. atque in ipsa actione et pronuntiatione, que oculis magis quam auribus percipiuntur*; unde intentos in se rapit auditorum aspectus. Quocirca, ut ait Cicero in *Oratore*, prima pars et laus oratoris est pronuntiatio; unde idem

in *Catilia. IV*: « Video, ait, in me omnium vestrorum ora atque oculos esse conversos. » Sapientem enim orator debet conari, ut vel rerum novitate et insolentia, et gratia et energia dicendi; vel materie gravitate, jucunditate et pondere suspensus et intentos in se detineat auditorum animos, sic enim eos faciet sibi benevolos et attentos. Talis erat Job, qui de se perorante ait, *cap. xxix, 9*: « Principes cessabant loqui, et digittum superponebant ori suo, etc. Auris audiens beneficiabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, » annuendo et applaudendo; et Paulus, cujus faciundiam et energiam dicendi stupentes Lycæoni, eum quasi deum e cælo lapsum vocabant *Mercurium, Act. xiv, 14*. Et S. Maurilius, qui indicio columbæ designatus episcopus Andegavensis, et a S. Martino consecratus, sanctitate et miraculis crebris illustris, omnium in se ora anteresque rapiebat; unde erat « sermone silens, et silentio loquens, nihilque ejus jucunditate severius, et severitate jucundius, » ait Fortunatus in ejus *Vita*.

13. PRÆTEREA HABERO PER HANC, IMMORTALITATEM: ET MEMORIAM ÆTERNAM HIS, QUI POST ME FUTURI SUNT, RELINQUAM, — uti de facto Salomon reliquit: *immortalitatem*, græce, *ἀθανασία*, accipe tam nominis et famæ, tum vitæ æternæ, *q. d.* Nanciscer per sapientiam vitam immortalem apud Deum, et memoriam æternam apud homines, juxta illud, *Psal. cxi, 7*: « In memoria æterna erit justus, » Sic de Josia rege ait Ecclesiasticus, *cap. xlii, vers. 1*: « Memoria Josie in compositione odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indicabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini: » mire enim recreat et animat sapientem, quod memoria ejus erit laudi et exemplo apud posteros: immortalitas enim nominis magnam est mortalitatis vitæ lenimentum; imo Cicero, *Tuscul. I*, inde colligit anime immortalitatem. Anima enim non desiderat memoriam æternam, nisi ipsa esset æterna, ut sentire possit, quid de ea dicturi sint posteri: quid enim ad illam pertinerent landes hominum; si nullus illarum in ea foret sensus? Est hæc duodecima dos sponse, id est sapientie, scilicet immortalitas vitæ æque ac famæ.

14. DISPONAM POPULOS, ET NATIONES MIHI ERUNT SUBDITE. — Est hæc decima tertia dos sapientie, quod doceat sapienter regere populos et subditos quoslibet. Per *populos* accipe Israelitas; per *nationes*, græce *ἔθνη*, id est gentes, accipe Idumeos, Moabitas, Ammonitas, ceterasque vicinas gentes Salomoni subditas, *III Reg. iv, 24*. *Disponam*, græce, *δυστάξω*, id est administrabo, œconomico regam, gubernabo, ordinabo, ordinate collocabo, per ordines digeram, cuique suum locum, munus, officium et gradum assignabo: optima enim gubernandi ratio est, si omnes ordine suo collocentur, et omnia ordine suo gerantur. S. Augustinus, *lib. De Opere monach. cap. xviii*, ait:

« Ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus (sub quibus ceteras intelligit circumstantias personarum, ætatum, virium, locorum) distributa gerantur ex ordine (qui, ut idem ait *lib. I, cap. x*, ex duobus libris, quos *De Ordine* scripsi: « Est per quem aguntur omnia que Deus constituit), ne animum humanum turbulenti implicationibus involuta perturbent. » Vide dicta *Prover. vii, 15*, ad illa: « Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; » vide et Clementem Alexandrinum, in *Apologia*, ubi Amphionis et Orphei incantationes, orationes sapientie et eloquentie plenissimas fuisse ait, quarum vi homines, qui antea sub humana figura speciem ferinam belluinis moribus gerebant, ad concientum politicæ disciplinæ redacti sunt; quibus præfert, ut luceam umbris, ut veritate mendacio, Christum Dominum, quem *sanctum et existentem avimarum incantatorem* appellat, Anastasius vero Sinaita, *lib. IV Hexam.*, eundem *ignem caelestem* nuncupat. Denique ex hoc vers. 14, *Pineda, lib. III De Rebus Salomonis, cap. xxxiv*, colligit Salomonem regem regum, sapientie benedictio, non solum exteris, sed et suis jus dixisse, judicando, decidendo lites, et cuique jus suum attribuendo; idque per se, non tantum per iudices a se constitutos.

15. TIMEBUNT ME AUDIENTES REGES HORRENDI: IN MULTITUDINE VIDEBOR BONUS, ET IN BELLO FORTIS. — Sapientia enim subditis est mansueta, ac rebellibus et hostibus, presertim tyrannis, horrendis et formidabilibus, est terribilis et horrenda, juxta illud Virgilius, *VI Aeneid.*, de arte regnandi:

Ille tibi crant artes, etc.
Pareare subjectis, et debellare superbos.

Sic Moses metum et horrorem incussit Pharaoni, *Exod. vii, 28* et seq.; Josue Chananeis, *cap. ii, 10*; Daniel, *cap. ii, vers. 26*, Nabuchodonosori; Joannes Baptistæ Herodi, *Marc. vi, 20*. Hinc et sponsa, pulchra Ecclesia, vocatur, *Cant. VI, 9*, « pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata; » nam, ut ait Nyssenus, *orat. 13 in Cant.*: « Ecclesie fabricatio ad instar fabricationis est mundi; » et *Cant. vii, 4*: « Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? »

Bonus, — id est benevolus, beneficus, clemens, liberalis. Hæc ergo sunt due præcipue principis dotes, scilicet beneficentia et fortitudo, juxta illud Homeri: « Utrumque, rex est bonus et fortis miles; » quod assidue in ore habebat Alexander Magnus, teste Plutarcho in *Moral.*: rex enim in pace bonus et pacificus sit oportet, in bello vero fortis. Ituc facit illud Plutarchi, *lib. Ad Principem eruditum*, et *lib. Cum Principe philosophandum*: « Succenset Deus tonitrua et fulmina, radiorumque projectus minitantibus; qui vero recta ratione præditi, honestate humanitateque ipsam referre conantur, hos studio eorum delectatus, auget, suaque eos æquitate, justitia, veritate ac

mansuetudine impertit, quibus nihil est diuturnius. » Vide Dionem, *orat. 2 De Regno*, et *orat. 43*, que incipit: « Amanis et eruditus hominibus, neque injeundum magistratum gerere, neque difficile; » et Aristotelem in *Quæst. Polit.* ubi ait: « Princeps inimicis formidolosus est, si armis et exercitu, multoque veluti ad bellum apparatu instructus fuerit; ea tamen omnia diutius, cœvâ vana, prius quam his utatur, detineat. Nam et Deus ipse antequam majestatis suæ trepidationem incutiat, inducias quasdam præbet; » quod si id non juvet, tum demum sua in reos jacula et fulmina contorquet. Audi ex *Legibus Visigothorum, lib. I, tit. 2, cap. vi*, sanctionem: « Ex institutione morum, ex mansuetudine principum, eaque ex dispositione legum oriente, et concordia fit civium, et triumphus hostium; atque sic bonus princeps interna regens, et externa tractor, eum nam pacem possidet, et alienam litem abundum, celebratur in civibus reges, et in hostibus victor. » Audi et Senecam tractatorem in *Octavia* colloquentem cum Nerone:

N. Ferrum melior principem
S. Melius ides.
N. Decet timere Casarem.
S. At plus diligi.
N. Metuant necesse est.
S. Quidquid exprimitur grævo est.
N. Jusque nostris pareant.
S. Justa impera.

Et Isocratem, *orat. 2 ad Nicoclem*: « Bellicosus sit scientia rei militaris et apparatu, sed pacificus, ut ne quid præter jus et æquum contempiscat sibi que vindictæ. » Et Musonius apud Stoebem, *serm. 48*: « Commodum esse principi, inquit, ut subditis amandus potius quam metuendus sit. »

16. INTRANS IN DOMUM MEAM, CONQUESCAS CUM ILLA: NON ENIM HABET AMARITUDINEM CONVERSATIO ILLIUS, NEC TEDIUM CONVICTUS ILLIUS, SED LETITIAM ET GAUDIUM. — Vatabilius, nihil enim habet amaritudinis ejus commercium, nec quidquam doloris convictus ejus, sed letitiam et gaudium; cum ex adverso hominum, licet amicissimorum, convictus et nimia familiaritas sæpe pariant tedium, imo aculeum afferant stimulentque ad iram vel tristitiam. Est hæc decima quarta sapientie dos, quod sapienti, a publicis privatisque negotiis animi ad sapientiam sevocanti, illa afferat ipsi pacem et letitiam, ac tedia et moerores ex negotiis contracta, leniat vel abstergat: ita læto semper animo æque ac vultu apparere S. Antonius, S. Romualdus, S. Francisus, S. Dominicus, S. Ignatius, ac prisci esset, anachoreta et religiosi, sapientie et contemplationi dediti: vide S. Basilium, *De Constit. monast. cap. xiii et xiv*. Causa hujus pacis et gaudii est prima, serenitas et sanctitas bonæ conscientie: « Secura enim mens est quasi juge convivium, » *Prov. xv, 15*. Secunda, amor et confidantia in Deum. Tertia, spes futura gloriæ, que omnes vitæ sanctæ, licet

asperæ, labores et dolores absorbet. Huc facit illud, *Ecclesi. xv. 6*: «Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum;» et illud Sapientie de seipsa, *Ecclesi. xxiv. 27*: «Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et farum.» Discant a sapientia viri sapientes in conversatione non esse tristici, austeri, abstracti, duri; sed ameni, hilares, jucundi, faciles, obsequentes, ut omnibus libenter aures præbeant, eorumque postulatis benevole, quoad possunt, satisfaciant. Denique ex *ψ non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convivens illius*, D. Thomas, I II, *Quæst. XXXV. art. 5*, probat delectationem contemplationis esse meram ac puram, nec ullam habere tristitiam sibi oppositam: experiuntur hoc ascete, qui jugiter cum Deo, cum Christo, cum B. Virgine, cum angelis et sanctis versantur: hi enim in terrestri quasi degunt paradiso, et quasi terrestres angeli, celestium delicias in carne prælibant, juxta illud, *Psal. xxx. 20*: «Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!» et illud, *Psal. xxxv. 9*: «Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluuntur tua potabis eos.»

17. HEC COGITANS APUD ME, ET MEMORANS (græce, *σπούζων*, id est *curans*, hoc est cum cura studiosè et sollicite considerans) IN CORDE MEO: QUONIAM IMMORTALITAS EST IN COGNATIONE SAPIENTIE. — Ita legendum cum Græcis et Romanis; perperam ergo Hugo et Dionysius, imò S. Fulgentius, lib. III *ad Monimum*, cap. XVI, legunt, *quoniam immortalitas est in cogitatione sapientie*; et alii, in *cognitione sapientie*; quam lectionem secutus Idacius Clarius, lib. III *Contra Varimad.*, ut probet Filium esse Patri æqualem et cœvum: «Id clarius affirmari, inquit a Salomone his verbis, *Sapient. viii. 17*: *Immortalitas est in cogitatione sapientie, et amicitia illius delectatio bona*: item, in operibus manuum sapientie honestas sine defectione, et in certamine sermonum ejus immortalitas, et vita æterna, in communicatione verborum ejus claritas perpetua;» ubi pariter addit *ψ perpetua et ψ immortalitas*, quorum neutrum est in Græco; sed ipse *ψ immortalitas* hoc vers. 17 posuit, in cæteris, quæ sequuntur vers. 18, repetendum censuit. Sensus est, q. d. Ego Salomon studiosè considerans sapientiam esse immortalalem, et eandem immortalitatem communicare suis cognatis, id est suis filiis et sponsum, qui eam arte associare et quasi despondere satagunt, facereque ut sibi cognati, id est conjuncti, affines et devincti, sint immortales: hæc de causa cõdenter concepiui eam mihi assumere in matrem, imò in sororem et sponsam, juxta illud, *Proverb. vii. 4*: «Die sapientie: Soror mea es; et prudentiam vocaamicam tuam.» græce sunt aoristi *ἠρξαμένη, καὶ ἄφρονας*, id est *eam reputassem, et sollicite cogitassen*, quod sapientia immortalales faciat eos, qui secum cognationem vel affi-

nitatem contrahunt, qui scilicet eam sibi devincto et despondere satagunt, juxta illud, cap. xv, vers. 3: «Scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.» Repetit id quod dixit vers. 13: «Præterea habeo per hanc immortalitatem et memoriam æternam,» etc. Huc alludens Thalassius, *Centuria IV*, num. 56: «Ligand vitæ, ait, est scientia Lei, cujus purus pariceps, permanet immortalis.»

18. ET IN AMICITIA SORS DELECTATIO BONA, ET IN OPERIBUS MANUUM ILLIUS HONESTAS SINE DEFECTIOE, ET IN CERTAMINE LOQUELE ILLIUS SAPIENTIA, ET PRÆCLARITAS IN COMMUNICATIONE SERMONUM IPSIUS: CIRCUMAB QUÆRENS, UT MIHI ILLAM ASSUMEREM. — Hæc quoque superius recensuit, sed hic repetit per conglomerationem, ut sapientie dotes incoleat, et omnes ad ejus studium magis accendat.

DELECTATIO BONA, — id est honesta, non turpis; item *bona*, id est jucunda, ut vertit Vatablus, juxta illud *Psal. cxxii. 1*: «Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum!»

HONESTAS SINE DEFECTIOE, — id est opulenta inexhausta, divitiis indeficientes, sive perennes, ut vertit Vatablus. Vide dicta vers. 11 et 14, et *Proverb. iii. 16*, ad illa: «Longitudo dierum in dextera illius, et sinistra illius divitiæ et gloria.»

IN CERTAMINE LOQUELE ILLIUS SAPIENTIA. — Græce *ἐν συρρηματικῇ ἐπιπέτῃ ἀπὸν ἄφρονας*, id est in *certatione conversationis illius prudentia*; Vatablus, in usu colloquii (*ἔλεξις* enim, id est *colloquium*), dicitur ab *ἐπιπέτῃ*, id est, a *simul loquendo* illius prudentia, q. d. ait Janenius: Per hoc quod quid exerceatur cum ea colloquendo, disserendo et conversando, acquiritur sapientia et prudentia sicut qui cum viris doctis in gymnasiis colloquantur et disputant, eorum doctrinam explicant et hauriunt; et sicut in disputationibus scholasticis, tibi argumentans rationibus certat cum defendente, acuit ingenium et veritas ducit; unde dicitur, *Ecclesi. ii. 23*: «Collucta est anima mea in illa.» Hinc manantur Colluctationes Patrum, de quibus Cassianus, Climachus et alii in *Vitis Patrum*, in quibus mutua colloquutione, et quasi dissertatione de virtutibus assentia easdem sibi suisque discipulis validius et ardentius imprimebant. Quamquam hic non tam docteur quomodo acquiratur sapientia, quam quid fractus et commodi illa acquista præstet, nisi illum efficere, ut nostri sermones, discursus, dialogismi, disputationes sint sapientes, ac sapientiam ubique spirent, omnibus aspirant, uti faciebant Patres in suis Colluctationibus.

PRÆCLARITAS (græce *ἐπίκαι*, id est *celebris*, nomen, laus, claritas fame, splendor; unde *ἐπίκαι* est *incolytus*, celebris, præclarus, splendidus) IN COMMUNICATIONE SERMONUM IPSIUS, — q. d. ait notior Lorinus: Bene audit ubique sapiens, ejusque verba tanquam axiomata, apophthegmata et nomina audiuntur, circumferuntur, laudantur, dum communicat sermones, inde præclare celebratur;

vel etiam decus lausque habetur, cum illo confere et colloqui. Analogice id longe verius erit apud beatos in celo. Huc facit illud *Daniel. xii. 3*: «Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas æternitates.» Minus recte Lyranus, Dionysius et Hugo, *præclaritatem* exponunt claritatem et elegantiam sermonis, q. d. Sapiens clare et eleganter sermones suos eloquitur.

CIRCUMAB. — Hæc vox notat ingens et assiduum in Salomone sapientie desiderium: sic enim sponsus circuit, ut sponsam quam ambit nanciscatur. Porro circuit ipse, ait Cantacuzenus: «Iam diu multumque elaboraret, dum se in omnibus honestis actionibus exerceret, dum omnes, qui sapientia virtutisque præditi essent, alios observaret atque suscipere, alios etiam in magistrorum ac pedagogorum haberet loco, ac promissum in hoc studium lotus incumberet.»

UT MIHI ILLAM ASSUMEREM — in sponsam et contubernalem, ut dixit vers. 2: confert enim sapientiam cum sponsa carnali, eamque illi præfert, primo, quod hæc sepe mortem marito affert, ut attulit Eva Adamo, et Dalila Samsoni; at sapientiam immortalitatem conciliat sibi devincto et conjuncto, et quasi cognato. Secundo, in amicitia cæterarum nuptiarum, sepe est delectatio turpis; at in Sapientia est honestissima: rursum, cætera maritis sepe exhibent curas, molestias, turba, jurgia; at hæc jugem sponso prestat delectationem, eamque bonam, id est jucundam et amiam. Tertio, alia sponsa, ait Cervantius, desideria languent, otioque torpent, aut defluunt in delictis totæ, sepe illis nulla cura rerum domesticarum, non filiorum filiarumve, non famularum, non item eorum que ad victum, quæ ad cultum pertinent, quæ ad opes conservandas, necdum augendas; magni thesauri vix sufficere possunt earum vestibus, monilibus, cupediis: at in operibus, sive ex laboribus manuum illius (sapientie) divitiæ thesauri indeficientes, et hos non minori virtute ipsa suis manibus, quasi aures adamantinisque membris tuetur, «honestas sine defectione.» Quarto, «in certamine loquæle,» cæterarum enim uxorum contubernio, colloquio, usu, consuetudine et congressu, palastra ipsa conjugali, plane virile robur ingeniumque viri languescit; unde suspicendi admirandique sunt illi, tametsi pauci, qui uxori sua liberis atque libris strenue vacaverunt; eis tamen cœlibus in numero et sapientia longe fuere et sunt majores: at in «certamine loquæle» sponsa hujus cœlestis, «sapientia» atque prudentia florent vigentque. Quinto, ex collatione sermonum cum aliis feminis conjugibus, et eorumdem consortio et societate, vir velut ignis cinere obducitur et observatur: quid enim e femina et muliere, nisi femineum et molle? Sit exemplo Salomon ipse, III *Reg. xi*, cujus opu-

lentia, potentia et magnificentia splendores inaurare non valuerunt, quæ deauravi societas feminarum contubernium, ait Cervantius. «At præclaritas est in communicatione sermonum sapientie,» conjugis omnium purissimæ, quam proinde sibi in sponsam assumere satagit Salomon. Hæc omnia mystice rite adaptas B. Virgini, quæ fuit sponsa S. Josephi, estque ætiam quæ sponsa omnium fidelium et piorum.

19. PUER AUTEM ERAM INGENUUS, ET SORTITUS SUM ANIMAM BONAM. — Syrus, *puer eram lucidus vel clarus*; Arabicus, *puer eram subtilis, solers, acutus*. Ostendit se ex natura et indole bona ac ingeniosa capacem fuisse sapientie, q. d. Cum essem homo indolis et ingenii, facile intelligebam quanta esset dignitas sapientie, quanta ejus commoda jam a me recensita: quare cum illa propensus optarem et cognoscerem tamen me illa viribus meis non posse assqui, adii Dominum, eumque ut illa mihi largiretur deprecatus sum. Sapienter Tertullianus: «Deus, ait, ita naturam disposuit, ut ea gratiæ aptissimum fundamentum existeret:» vide S. Augustinum, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXX.

INGENUUS, — id est boni, magni, acuti et acris ingenii ad res intelligendas et judicandas; unde Cicero, lib. V *De Finib.*: «Prioris generis, ait, est docilitas et memoria, quæ fere omnia appellan tur uno ingenii nomine, easque virtutes qui habent, *ingeniosus* vocantur;» et S. Isidorus, lib. X *Etymol. litt. 1*: «Ingeniosus dicitur, inquit, quod tantus habet vim *ingeniendi* quantumbet artem;» et S. Augustinus, lib. X *De Trinit. cap. xi*: «In his tribus, inquit, memoria, intelligentia, voluntate, inspicere solent etiam ingenia parvulorum ejusmodi præferant indolem. Quanto quippe tenacius et facilius puer meminit, quantoque citius intelligit, et studet ardentius, tanto est laudabilior ingenii.» Sub *ingenio* ergo hic iudicium, memoriam et voluntatem intellige: his enim quatuor excellit Salomon, eum aliqui sepe pollutentes ingenio, non polleant iudicio, et vice versa: ingenii enim parens est temperies calida, iudicii frigida. Ingenium lumen est animi, sed hujus ipsius luminis lumen, et oculis oculi est iudicium. In ingeniosum cadit subinde error mentis et stultitia, nonquam injudiciosum. Malim hebes haberi, quod vitium pugnat cum ingenio, quam insipientem et stultum, quod adversatur iudicio. Audi Maximum Tryrium, *dissertatione 34*: «Plerumque id evenit homini, et quo faciendos est ingenio, eo minus valde iudicio.» At Salomon ingenio excellit aequè ac iudicio, ut patet III *Reg. v* et seq.

Pro *ingeniosus* græce est *ἐπιμα*, quæ vox tria significat, primo, eum qui industrius est ac ameni et acris ingenii, ut jam explicui. Secundo, eum qui bona est indole, ac natura ad virtutem propensus: *ἐπιμα*; enim idem est, quod *bene natus*, natura habilis, bene formatus, bene a natura compositus, ingeniosus, id est naturaliter quadam

ingenii dexteritate ad omnia comparatus: nam *φύσις* est *indoles*, puta naturalis ingenii animique bonitas, *φύσις* enim est *gigno*, produco, planto, in lucem edo; unde *φύσις* est *natura*, potentia rei innata, ingenium, indoles, vis nativa, nature habitus et mores. *Ingenium* enim proprie a Latinis natura vocatur cuique ingenta, a *gignendo*; ea vero in pueris *indoles* dicitur, estque non solum probitatis, sed industrie quoque iudicij index. Unde S. Isidorus, lib. X *Etyrnolog.* cap. xi, sub finem, *genium* derivat ex eo, « quod vim habeat omnium rerum gerendarum, seu a gignendis liberis: unde et *gentiles* loci dicebantur, qui novo marito sternebantur; » et Festus: *Gentiles deos*, inquit, dixerunt aquam, terram, ignem, aerem: ea enim sunt semina rerum. *Genium* appellabant deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Aufustus: *Genius*, inquit, est deorum filius, et parens hominum, ex quo homines gignuntur, et propterea a *genus meus* nominatur, quod me genuit. Alii *genium* esse putarunt uniuscuiusque loci deum. » Et Nonius Marcellus, cap. iv: « *Ingenium*, inquit, est naturalis sapientia. Sallustius, *Catiline bello*: « *Ingenium* meo sine corpore exercebat. *Ingenium* veteres dixerunt et sua sponte, vel natura. *Nævius* Lyceugo: *Vos*, qui regalis corporis custodiam agitis, ite adtulim in frondiferos lucos; *ingenium* arbista victa sunt, non obscuritas Sallustius, *Histor.* lib. iiii: *Castrique collatis*, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. *Virgili*, *Georg.* lib. ii:

Nunc locus arborum ingenis, que robor aequa,
Quis color. »

Hoc significatum secutus Petrus Nannius hoc loco vertit, *puer eram dextera indolis*; Vatablus, *dextero ingenio præditus*. Tertio, *επίφω*, teste Hesychio, est arbor, natura aut ingenium virescens, bene germinans, copiose succrescens: id enim huic loco convenit, q. d. Salomonis natura instar boni soli, radis celestis solis, puta gratie Dei, calefacta, probitatis et sapientie semper probe concipiebat, concepta confovebat, confota explicabat, et increscentia in dies promovebat: quare majora in dies sua bona indolis et ingenii documenta edebat, instar Christi, qui proficiebat ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines, *Luc.* ii, 52: ita a Castro et Pineda, lib. I *De Rebus Salomonis*, cap. xviii. « Ut dii immortales, ait Seneca, *epist.* 96, nullam didicere virtutem, cum omni editi, et pars nature eorum est, esse bonos: ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem in ea que tradi solent, perveniunt sine longo magisterio, et honesta complectuntur, cum primum audierint. » Denique Aristoteles, lib. III *Ethic.* cap. x: *Is*, inquit, est *επίφω*, cui est quid innatum bene, qui sit bene a natura formatus et propensus: quemadmodum enim arbor virescens, et copiose succrescens et germinans, ac

coalescens dicitur *επίφω* *φύσις*, ita ingenium aënum et acre, quod virescit, germinat et coalescit in virtute, et in his que cum virtute et sapientia conjuncta sunt, dicitur bene a natura institutum, et ad bonum proclive.

Sortitus sum (hoc est, inquit Pineda loco jam citato, non voluntate, non merito meo, sed Dei nutu, qui velut sors in manu nostra non est, accepi) ANIMAM BONAM. — « Solent, inquit S. Augustinus, lib. X *De Genes. ad litt.* cap. xviii, quæ sorte dantur, divinitus dari; » et inferius: « Ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum sortis nomen accessit. » Vera hæc omnia, si sortis nomen presse accipitur: nam, si ex usu sacri sermonis, sors non sonat illud fortuitum, sed aliquid proprium et velut hereditarium: Mihi, inquit, attribuit supremus rerum arbiter Deus, optimam corporis et animæ portionem, præclaram quasi hereditatem et sortem possessionis mee.

ANIMAM BONAM, — id est bonæ indolis, ad bonum omne propensam, bonitate naturali, moderatione affectionum, et candore morum præditam: ita Dionysius, Pineda, Jansenius, Lorinus, a Castro et alii. Minus recte Hugo ingenium nature, animam bonam gratiæ attribuit; sic et Bonaventura, qui id probat ex voce *sortis*; et Lyranus qui animam bonam assignat puritati affectus, quem hausit Salomon ex institutione Nithan, qui propterea cognomen et imposuit, *amabilis Dominus*, II *Reg.* xi, 23; et Holcot, qui putat vocem *puer* (puer enim dicitur a puritate) notari multum corporis; voce *ingeniosus*, peritiam intellectus; per *sortitus sum animam bonam*, innam gratiam supernaturalem. Et Hugo *Ætherianus*, lib. *De Regressu animarum*, cap. xxxii, ait Salomonem sortitum esse animam bonam, per datam sibi sapientie abundantiam, per quam factus sit magis bonus.

Pejus alii censentes animam esse ex tradito, id est, animam filii seminari et traduci ab animæ parentis, sicut lumen unius candelæ traducitur et accenditur ab alia candelâ, sic exponunt, q. d. « Puer eram ingeniosus, » grece *επίφω*; id est *bona natura et indolis*, quis a natura et indole bona animæ parentis mei sortitus sum, et accepi pariter animam bonam, juxta illud Lucani, lib. vi

Indole si dignum Latia, si sanguine præco
Rorur inest animis.

Horum sententiam recensens, et cum dubio sequens S. Augustinus, lib. X *De Gen. ad litt.* cap. xvii: « Puer autem eram ingeniosus, inquit, id est, sum explicans, quibus causis ingeniosus esset, continue subjungit: *Et sortitus sum animam bonam*, videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Denique cum *essem*, inquit, *magis bonus*, *veni ad corpus incoquinatum*; quod si matrem intelligatur, ne hoc quidem, quod dictum est: *Veni ad corpus*, huic opinioni refragabitur,

cum ex anima et corpore paterno venisse ad matrem: corpus, accipitur, *incoquinatum* videlicet, vel a crure menstruo; dicuntur enim ex hoc ingenia gravari; vel a contuminatione adulterii, » que sepe obest moribus filiorum, et suam puritatem in illos transfundit. Verum tradit animarum ab Ecclesia jam velut error damnatus est. docet enim illa omnes hominum animas a Deo creari infundendo, et creando infundit: atque error iste hic satis refellitur ex eo quod subditur: « Et cum *essem magis bonus*, *veni ad corpus incoquinatum*, » que verba innuunt animam priorem fuisse corpore, non tempore, sed natura, priusque habuisse suam bonitatem, de qua dixit: « Sortitus sum animam bonam; » ac deinde venisse in corpus incoquinatum, non igitur a semine corporeo, nec per semen parentis transfusa est anima patris in corpus filii. Præclare Seneca, lib. IV *De Benef.* cap. vi: « *Insta* sunt nobis, inquit, omnium ætatum omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. »

Mylicæ, S. Augustinus, *ibid.* cap. xviii, hæc omnia accipit de Christo, qui verus fuit Salomon, id est pacificus et pax nostra: « Quid ingeniosus, inquit, illo puero, cujus in annis duodecim senioris sapientiam mirabantur? » et inferius: « Et quid incoquinatus illo utero Virginis, cujus caro etiam si de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit? » et pluribus interjectis: « Et fortasse ideo ait: *Sortitus sum animam bonam*; si tamen hoc de illo oportet intelligi, quia solent, quæ sorte dantur, divinitus dari; aut quod fideliter dicendum est, ne vel illa anima aliquibus operibus præcedentibus ad tantum apicem subveela putaretur, ut cum ea Verbum caro fieret, et habitaret in nobis; ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum, *sortis* nomen accessit. » Et S. Cyprianus, lib. *Testim. contra Judæos*, cap. *De Nativ. Christi*: « Quis, inquit, ante natalitatem erat bonus? et quis venit in corpus incoquinatum et impollutum? » nisi solus Christus, utpote instar roris in Virginem illapsus, in eaque conceptus ex Spiritu Sancto.

20. ET CUM ESSEM MAGIS BONUS, VENI AD CORPUS INCOQUINATUM. — Spiritus, et propter gratiam meam veni in corpus purum; Arabibus, cum *essem bonus*, *intravi in corpus illius*, scilicet sapientie; hinc origenes docent animam extitisse ante corpus, et pro meritis vel demeritis detrudi ac venire in corpus purum, vel maculatum: verum hic est error jam olim ab Ecclesia damnatus. Interpretes orthodoxi hic se torquent et varie exponunt: S. Bonaventura, cum *essem magis bonus*, inquit, per gratiam supernaturalem, quam *essem prius* ex industria naturali; Holcot, cum *essem magis bonus*, nempe, quam ingeniosus, et magis in me emineret bonitas moralis, quam bonitas naturalis ingenii; *veni ad corpus incoquinatum*, id est, proficiendo attingi perfectionem virtutum moralium, ita ut servarem corpus incoquinatum a passionibus vitiolorum; Carthusianus, cum *essem magis bonus*, proficiendo in virtutibus, *veni ad corpus incoquinatum*, conservans me ab impuritate. Verum nihil horum satisfacit, nihil hoc loco germanum est et appositum.

Græce est, *μᾶλλον δὲ*, id est *magis vero*, vel *imo potius*, cum *essem bonus*, ut sit correctio; unde Vatablus vertit, *imo bonus ipse cum *essem*, corpus incoquinatum adeptus sum*; Osorius, aut ut *rectius dicam*, cum ipse natura bonus *essen*, nimirum secundum animam, *nactus sum corpus immaculatum*. Aut *μᾶλλον δὲ*, id est *amplius vel insuper*, q. d. Cum *essem bonus*, scilicet quoad animam, quam sortitus sum bonam a Deo, amplius vel insuper veni ad corpus incoquinatum: bonæ enim animæ bonum corporis temperamentum proportionaliter respondet, ideoque naturaliter quasi debetur, ac reipsa a Deo datur: ita Nannius, Vatablus et Jansenius, quem audi: *μᾶλλον δὲ* videtur postulatum hic, uti et sæpe alibi, pro *vel potius*, ut sit quodammodo corrigentis quod dixerat, et sit sensus: *Aut potius cum *essem bonus*, veni ad est deveni, ad corpus incoquinatum*. Dixerat: *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam*. Ex quibus verbis cum intelligi posset, eum significasse se suo ingenio consecutum animam bonam, ideoque veluti corrigi illum sermonem, dicens: *Aut potius cum *essem bonus*, vel quia *eram bonus*, perveni ad corpus incoquinatum*. Significans animæ bonitatem, quam et Dei munere habuit, fuisse causam munditie corporis, non contra corporis doctus animæ bonitatem esse paratam, et animæ bonitatem præcessisse, non secutam esse. » Alii, quibus favet S. Augustinus, lib. X *De Genes ad litt.* cap. xvii, vertunt, *ut *essem bonus*, veni ad corpus incoquinatum*: hæc expositio satis græco textui respondet, ad non latino vulgato: habet enim, et cum *essem magis bonus*, *veni ad corpus incoquinatum*, que verba licet aliqui, ut sensui jam dato accommodent, exponant per trajectionem *μᾶλλον δὲ* *magis*, q. d. *Et magis*, id est *insuper*, « cum *essem bonus*, veni ad corpus incoquinatum, » atque dant exemplum, *Proverb.* xxx, 31: « *Nec est rex, qui resistat ei*; » hoc est, et « *rex*, nec est qui resistat ei, » uti hæc verba transponendo exponunt Lyranus, Dionysius et Jansenius: rex enim est quantum animal inter ea, que bene gradiuntur; tamen trajectio hæc dura videtur et violenta.

Vulgate ergo versioni duplex dari potest sensus magis appositus et connexus. Prior est, q. d. Sortitus sum animam bonam, nec tantum animam bonam, sed et corpus bonum: quare cum *magis *essem bonus**, id est cum a Deo destinatus *essem ad majorem plenamque bonitatem*, ut *essem magis magisque bonus*, id est melior, imo complete, per omnia scilicet, tam quoad corpus, quam quoad animam bonus, « veni ad corpus

magis appositus et connexus. Prior est, q. d. Sortitus sum animam bonam, nec tantum animam bonam, sed et corpus bonum: quare cum *magis *essem bonus**, id est cum a Deo destinatus *essem ad majorem plenamque bonitatem*, ut *essem magis magisque bonus*, id est melior, imo complete, per omnia scilicet, tam quoad corpus, quam quoad animam bonus, « veni ad corpus

incoquinatum; » unde graece est, *magis autem bonus existens, venit ad corpus incoquinatum, id est melior, imo perfectior bonis existit, cum anima, in se bona, venit pariter ad corpus bonum et incoquinatum*: corpus enim bonum addidit, et perfectit animae bonitatem, haec enim ex corpore bono suae bonitatis complementum accepit: nam animae officina est corpus, per illud enim ipsa operatur omnia sua. Quocirca ego Salomon, cum quoad animam esse a bonus ex Dei creatione et dono, ejusdem munere adeptus sum corpus optime temperatum et cum anima mirifice congruens, scilicet affectibus moderatum, et animae conforme ac obediens: hoc enim vocat hic *incoquinatum*; passionibus enim turbant et inquinant animam; unde aliqui vertunt, *quia consequitur majorem bonitatem, venit ad corpus incoquinatum*. Posterior, q. d. « Cum essem magis bonus, » id est, cum in dies in bonitate per actus virtutum proficerem, cum adolecerem magis, cum adulescerem animo aequo ac sapientiae studio, « veni ad corpus incoquinatum, » id est tunc consentens sum corporis munditiam et donum castitatis, primo virginalis, deinde conjugalis, in eaque assidue profeci et crevi: nam cum scirem hoc esse donum Dei, illud instanter toto corde a Deo expeti, ut sequitur, et impetravi. Hic sensus est accommodatus, cumque multis probat et explicat noster a Castro, cuius verba paucis comprehensa hunc dant sensum, q. d. Ego quidem, cum a puero bona indole praeditus fuisset, bonaque mente et ad virtutem propensa; imo quo magis bene eram institutus, eo magis crevi in corpus immaculatum, illud impollitum conservans: nam bona illa indoles, qua me Deus sua miseratione donavit, me inducebat ad conservandum corpus meum incoquinatum usque ad etatam nubilem, ut illa aptior fierem ad postulandam impetrandamque sapientiam, que non habitat in corpore subdito peccatis. Id fecit Salomon juvenis, nam senex corpus suum et animam libidinis inquinavit.

Mystice, Verbum in incarnatione assumpsit animam bonam, imo optimam, ac, ut illa omni ex parte esset in bonitate completa, adaptavit ei corpus optimum, id est purissimum et perfectissimum: Verbum enim, mediante anima, assumpsit corpus; quare prius natura (non prius tempore) assumpsit animam, quam corpus, ut docet D. Thomas, III part. *Quaest.* VI, art. 3.

Ex haec gnomo multi probabiliter colligunt animas humanas, licet omnes ejusdem speciei sint, sed non tamen in naturae dignitate esse pares, sed unam alia esse meliorem et perfectiorem essentialiter; intra tamen latitudinem ejusdem speciei; aequae animam Christi nobilissimam esse praeter animabus omnium hominum; non autem a corpore solo melius organizzato hanc animam et

indolis diversitatem provenire, uti voluit Durandus, D. Soto, Soncinus, Henricus a Gandavo, Toletus, et nostri Conimbrienses in lib. II *De Anima*, cap. 1. *Quaest.* V, ac Philippus Solitarius in *Dioptera*, cap. II et seq., ubi docet eam, que in hominibus est, functionum diversitatem, oriri non ex anima, sed ex varia corporis crisi seu temperamento: sicut imber idem aliud operatur in olea, aliud in vite, et sic de aliis; et sicut sol idem nunc illuminat magis, nunc minus, si liber sit a nube vel caligine, aut iis obductus; et sicut eadem aqua per varios cuniculos, hic amara, alibi dulcis est. Verum Salomon videtur hic contrarium significare: ait enim se sortitum esse animam bonam praeter ceteris, id est ceteris meliorem a Deo inditam accepisse, rursum ingeniosis ait se fuisse ex anima bona et ingeniosa; unde ex graeco *επιρρις*, sic veritas, *puer eram bonae indolis*, et (id est quia) sortitus sum animam bonam. Non dicit hanc animam bonitatem illi a corpore provenisse; subdit enim: « Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum, » q. d. Prius natura in me fuit bona indoles ex anima bona, deinde ea perfecta fuit per corporis bonitatem et puritatem, cum in corpus hoc anima ingressa est.

Ratio est prima, quia si in corpore humanum alio est melius et perfectius, ergo idem longe magis dicendum in anima; unde S. Thomas, I part. *Quaest.* LXXXV, art. 7. « Manifestum est, ait, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam, » tum quia Deus animas temperat corpori: ergo in nobilior corpus nobilior animam infundit; tum quia sic corpus habet hanc gradum latitudinem pulchritudinis varietatem, ergo multo magis eandem habet anima, que longe corpore est praestantior et sublimior. *Secunda*, quia in angelis ejusdem chori et speciei, unus, v. g. summus, angelus est praestantior alio, v. g. illius; id autem provenit ex anima, ut illa dicit, angeli, non autem a corpore, utpote quo carent; ergo idem dicendum de anima hominis, quae est naturae intellectualis et angelicae: licet enim D. Thomas opinetur omnes angelos inter se specie differre, tamen alii passim aliter sentiunt doctique in eadem specie plures esse angelos solum differentia individuali discretos. Ita censent Albertus, Albertus, Bonaventura, Scotus, Gabriel, Durandus, Marsilius, Molina, Vasquez et Suarez, lib. I *De Angelis*, cap. XV. *Tertia*, quia in geminis, v. g. in Esau et Jacob, ubi idem est semen, saepe est diversissima indoles; ergo illa provenit ex anima disparare. *Quarta*, quia animas femininarum disparas esse ab animabus virorum, imo initio disparas fuisse in creatione Adami et Eve, nemo negavit; et quis dicere audeat Judam habuisse animam tam nobilem, quam habuit Christus? *Quinta*, id ipsum arguere videtur tanta ingeniorum indolis, studiorum, inclinationum varietas et proventus:

philosophicum et theologicum, alios ad medicinam, alios ad eloquentiam, alios ad mathesin esse propensos et aptos, ad alias vero scientias ineptos, imo aversos; alios ad speculationem ferri, alios ad praxim; alios ad misericordiam proclives, alios ad severitatem et rigorem; alios ad castitatem, alios ad libidinem; et aliis summam esse memoriam, sed parum acuminis et ingenii; aliis magnum esse acumen ingenii, sed parum iudicii et memoriae: quae omnia non videntur a solo corpore provenire. Denique si aurum auro praestat, bos bovi, aqua aquae, terra terrae, lapis lapidi, cur non et anima una praestantior sit altera, praesertim cum anima spiritalis sit, ideoque elevator et magis illuminata? Accedit articulus Academiae Parisiensis, quem recitat Henricus Gondavensis, *Quodlib.* III, *Quaest.* V, et Durandus, in II, *dist.* 32, *Quaest.* V, qui sic habet: « Si quis dicit omnes animas ab origine esse aequales, errat: quoniam alias anima Christi non esset perfectior, quam anima Judae. » Ita docent Magister Sententiarum in II, *distinct.* 32, et *idem* S. Bonaventura, Albertus, Richardus, Joannes Major, Capreolus, Aegidius Ferrarius, lib. I *Contra Gentes*, cap. III, Cajetanus, I *Quaest.*, *dist.* 83, art. 7, Abulensis, in *Matth.* cap. XV *Quaest.* 656, ac Petrus Nannius, Jansenius et Vatablus hic, atque favet S. Augustinus, lib. IV *Contra Julianum*, cap. III, dum ait: « Cujus (Dei) occulto iudicio, nec iniusto, alii fatui, alii tardissimi ingenii et ad intelligendum quodam modo plumbei, alii obliviosi, alii acuti memoresque nascuntur, alii utroque munere praediti, » etc.

CORPUS INCOQUINATUM, — id est, primo, castum et purum; secundo, carens labe, vitio et imperfectione, que nocere ingenio aut indoli posset; sed perfectum, bene constitutum, bonae habitudinis, idoneum frugibus sapientiae virtutisque secundum aptam symmetriam et proportionem, ut regi aptarique facile posset ab anima; tertio, per catachresin et metalepsin, « corpus incoquinatum » est corpus integrum, perfectum, pulchrum, elegans, formosum aequo ac vegetum, validum, nervosum, robustum, ideoque pulchra validaque sponsa, puta sapientia, dignum: nam

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.

Castitas enim, que sapientiae est soror, valde promovet speciem, decus et formam, aequae ac robur corporis; hinc similis est amianto (qua vox hic est in graeco) lapidi, qui igne non leditur, illicque resistit, et integer in igne perdurat, teste Plinio, lib. XXXVI, cap. XIX. Huc facit illud Boetii, lib. IV *De Consol.* prosa 6: « Sacri hominis corpus, inquit, virtutes edificavit; » et nonnullis interjectis: « Est alius cunctis virtutibus absolutus sanctusque ac Deo proximus: huic contingit quibuslibet adversis, nefas providentia iudici: adeo ut ne corporis quidem morbis agitari sinat. » Hinc et Plato, *Dialog.* 6.

initio, et uberius in fine dialog. 3, heros vocat diis genitos, eorumque conflandis corporibus materiam non nostralem, sed humana nobiliorum, et quasi lapsam a caelo assignat; hinc non inquinatam communi face mortalium, sed factam ex purissimo divinitatis auro mentem astat. Ut enim idem in *Opificio mundi* philosophatur: Ex anima lectissima, simul et corpore praestantissimo, raritatis excellentia paribus, oritur in homine primum admirabilis ille concentus et harmonia valetudinis optime temperatae, et pulchritudinis augusta, que separari non possunt: tum exquisita solertia sensuum, et affectionum moderata tranquillitas: tum etiam ad intelligenda divina, et ad humana tractanda, mira celeritatis et capacitatis ingenium: et ex his ingenium ac castus philosophiae et Musarum amor, sine quo nec aliquis potest esse pulcher, nec bonus. His autem si proba educatio et doctrina lumen accesserit, extolli ait alius humana dignitate fastidium, hominemque divinus musicae participem, ad commune generis humani bonum bonarum artium choros in terris, et virtutum omnium choras institere: haec Plato. Corpus ergo integerrimum est vivum Dei templum, divina fundens oracula.

21. ET UT SCRVI (ex inspiratione Sapientiae, ut sequitur, puta Dei) QUONIAM ALITER NON POSSEMUS ESSE (graeco, *alter non erat*) CONTINENS, NISI DEUS DET, ET HOC IPSUM ERAT SAPIENTIAE, SCRIBERE CECIS ESSET HOC BONUM: ADII DONUM, ET DEPRECATUS SUM ILLEN EX TOTIS PRECORDIIS MEIS. — Pro *continens*, graeco est *επιρρις*, quod tria significat, primo, voti completum; secundo, castum; tertio, continentem: que tria huc loco congruunt. Primo ergo et genuine, sensus est, q. d. Ut cognovi quod non possem esse continens, id est compos voti, potens, et in potestate habens sapientiam, ut scilicet obtinerem illam adeo desideratam, nisi Deus eandem mihi daret, ipsum adii et pro ea deprecatus sum: totum enim Salomonis votum erat de sapientia consequenda, ut patet ex dictis; unde et cap. seq. oras et hoc votum sum explicans, non nisi sapientiam a Deo postulat: ita Nannius, Vatablus, Jansenius, Cantacuzenus, Osorius, a Castro, Emmanuel Sa, Lorinus et ceteri. *Continens* enim idem est quod *tenens*, compos, possidens, q. d. Cum scirem me meis viribus non posse obtinere sapientiam, nec obtentam retinere, nec retenta bene uti, nisi per Dei gratiam, hanc imploravi: sic *Eccl.* VI, 28, dicitur: « Et continens factus ejus, » id est tenens vel possidens sapientiam, « ne derelinquas eam; » et cap. XV, vers. 1: « Et qui continens est justitiae (hoc est compos justitiae, vel qui adeptus fuerit iustitiam) apprehendet illam, » sapientiam; et cap. XXVI, vers. 33: « Ira et furor, utraque execrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum, » id est compos aut participes illorum erit, vel illis obnoxius. Hinc Arabicus hoc loco vertit, et cum cognovissem me non

alto modo tenere illam, si Deus non dedisset mihi.

Secundo, « continens » idem est quod castus, qui se continet et refrenat a libidine, ejus stimuli sunt vehementissimi: Salomon enim postulare videtur castitatem, quasi individuum sapientie comitem, metuens ne per libidinem, ad quam natura propendebat, perderet sapientiam, uti in sentio eam perdidit: quod hic praesagire videtur: peritura ergo est continens ad id quod praecessit: « Veni ad corpus incoincunatum; » illud enim in puritate sua continere et conservare satagebat. Continens igitur idem est quod in potestate tenens frenas et cocrens venereas corporis voluptates, earumque domitor, victor et dominus (hoc enim est *ἐπιμαρτυρῶν*), quod fit virtute castitatis: ita Glossa, Dionysius, Holcot, Hugo Etherianus, De *Progressu animarum*, cap. xxxii, et Tertullianus, De *Veland. virginib.* cap. xii, et S. Augustinus, lib. VI *Confess.* cap. xi, et epist. 89, *Quaest.* II, ubi ex hoc loco docet continentiam non esse virtutem liberi arbitrii, sed gratiae Dei: « Cum scirem, inquit, quod nemo esse potest continens, nisi Deus det. Jubeat ergo Deus continentiam, et dat continentiam, jubet per legem, dat per gratiam; jubet per litteram, dat per spiritum; » et epist. 143 ad *Julianam* matrem Demetriadis, cui virginitalis propositum gratulatur, sed monet hoc esse insigne donum Dei, idaeoque ab eo infimis praebitis lacrymis postulandum. Idem docet Prosper, *Contra Collat.* cap. xxxvi. Continentia ergo hic significat castitatem, non solum virginalem, sed et vidualem et conjugalem: triplex enim haec castitas est donum Dei, imo conjugalis saepe majus est donum, quam virginalis: experientia enim libidinis in conjugio, vehemens est stimulus ac tentatio ad eam extra conjugium ex speciosioribus corporibus captandam. Salomon enim eum postulavit hanc continentiam et sapientiam, jam erat maritus, adeoque jam generat Roboam, uti superius ostendi: ita Bellarminus, lib. II *De Monachis*, cap. xxxi, et lib. V *De Gratia et Lib. arbit.* cap. vii. Rursum loquitur hic Salomon, non solum de actu continentiae sive castitatis, sed etiam de habitu, sive ille sit acquisitus, sive infusus: omnes enim habitus, licet acquisiti, sunt dona Dei, qui est auctor omnium bonorum naturalium. Minus recte ergo scholastici nonnulli ex hoc loco probant praeter virtutes acquisitas, dari virtutes morales a Deo infusas: etsi enim id verius sit, tamen non satis solide ex hoc loco et similibus probatur: ita Gabriel Vasquez, I II, disp. 86, num. 42. Magis tamen loquitur hic Sapiens de actu continentiae, qui quotidie homini exerceendus est, inter tot tamque graves libidinis occasiones et tentationes, ad quas superandas non sufficit natura, nec habitus naturalis, sed opus est peculiari gratia Dei, eaque frequenter et potenti, ut docet S. Augustinus locis jam citatis, qui ex hoc loco idipsum probat.

Moraliter, hic docet quod humilitatis humillique orationis premium est castitas, sicut superbia condigna castigatio est luxuria, ut docet S. Gregorius, *XXVI Moral.* xiii: « Nam nullis, inquit, saepe luxurie seminarium superbia fuit: quia, dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit: hi enim secreto prius elevantur, sed postmodum publice corruunt, quia, dum occultis intumescent moribus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis. » Humilitas ergo est custos pudicitiae. Quocirca S. Ignatius, epist. ad Philipp. « Qui castus est, vel continens, inquit, non extollatur, ne perdat mercedem suam; » S. Hieronymus, epist. ad *Demetriadem*: « Non solum pates tuum esse, quod tuum est, sed eam, quae suam in te expressere pudicitiam (matris atque aviae) et honorabilem nuptiarum, cubilisque immaculati pretiosissimum germinare te florem, qui perfectos afferet fructus, si humiliaveris te sub potenti manu Dei; » S. Augustinus, serm. 53 *De Verbis Domini*: « Audeo dicere: Superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humiliterent; » S. Fulgentius, epist. 3 ad *Proban.* De *Virgin.* cap. xvii: « Ut integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multo amplius custodienda est humilitas cordis: si qua enim vere virgo est Christi, non potest Christo nisi humilitate conjungi, » etc. S. Bernardus, hom. 4 super *Alfens* est: « Palchra permittit virginitalis et humilitatis; nec medicoriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitalitatem, et virginitas exornat humilitatem; et paulo post: « Ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. Quid dicis, virgo superba? Maria virginem se obliata gloriatur de humilitate, et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate. *Respexit humilitatem ancillae, etc. Luc.* III, 48. Expedit tibi virginem non esse, quam de virginitali insolescere. » Rursus Cassianus, lib. II *De Institut. reman.* cap. xviii: « Sicut, ait, sine humilitate castitas obtineri non potest, ita sine castitate scientia obtineri nequit; » utriusque ergo, imo omnis virtutis omnique boni centrum est humilitas, humilisque oratio. Licet S. Chrysostomus apud Antonium in *Messa*, part. I, cap. xlii: « Oratione, inquit, acquiritur conversatio Dei; se jungitur autem a Deo, qui non se conjunxit ei per orationem: qui vero separatur a Deo, illum pronus necesse est adversario conjungi. Oratio custodia est temperantiae, virginitalis sigillum, irae castigatio, superbiam moderatio, animae memoris injuriarum expulso, invidiae demolitio, pacis confirmatio. » Vis exempla? Accipe.

Abbas Serenus apud Cassianum, *Collat.* VII, cap. II, cum pro perfecta castitate impetranda « iugi supplicationi ac lacrymis indefessus insistere, » adducens ad eum angelus in visione nocturna, ejusque velut aperiens iterum, quandam igni-

tam carnis struam de ejus visceribus avellens, se projiciens, utinam omnia ut fuerant locis inestis restitueret: Ecce, inquit, incentiva carnis tua abscessa sunt, et obtinuisse te novis hodierna die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter poposcisti. » S. Thomas Aquinas juvenis tentatus a scorto, a fratribus submisso, litione illud fugavit, moxque orans pro dono castitatis, vidit angelum zona sibi renes stringentem, dicentemque: « Accipe cingulum castitatis, » ac deinceps per omnem vitam sensu libidinis caruit, uti habet ejus *Vita*. S. Cecilia cilicio armata, cum genita orans cum Psalle, *Psal.* cxvii, 80: « Fiat, Domine, cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar, » castitatem angelicam, ejusque custodem angelum meruit obtinere; quin et eandem Valeriano sponso, Tiburtio ejus fratri, multisque aliis aspiravit, ac velut apix argumetosa virginum mella favosque contigit. Simile exemplum de abbate Mose recenset Palladius in *Lucasiaca*, cap. xxii; de Pacone, cap. xxxi. Vide S. Augustinum, *De S. Virgin.* cap. xxxix. Illustre recensque exemplum exstat in *Vita S. Ezeccarii* Comitis Arriani, cap. xxxvi: hic enim cum sponsa sua Dalphina in flore aetatis, ipso festo S. Magdalene post synaxim flexis genibus, junctisque super Missale manibus, perpetuam Deo vovit virginitalitatem, hac forma: « Domine Jesu Christe, a quo omne bonum et donum proficiscitur, ego peccator fragilis et infirmus, sine tuo speciali dono non possum caste et continenter vivere; sed de tuo singulari adjutorio confidens, voveo et promitto tibi, et sanctissime matri tuae, atque omnibus sanctis, toto tempore vitae meae caste victurum, et virginitalitatem servaturum, quam hic usque tua benignitate in me custodivisti, atque hujus promissionis exsequenda causa, paratus sum quascunque afflictiones et penas, atque etiam mortem ipsam perpetui. » Denique S. virgo Dalphina consimili modo virginitalis votum, quod jam ante secreto, fecerat, publice repetivit. Subjuncti D. Garsenda ejus nutrix illud S. Urbani Pontificis de S. Cecilia: « Domine Jesu Christe, seminatore casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Dalphina virgine seminasti. » Porro tunc ad castitatem juvat implorare opem B. Virginis, hanc enim statim virginum reginam et castitatis presidem; unde *Ecclesia*, eam invocans, supplicat:

Nox culpae solutor,
Mites fac et castos:
Viam praesta puram.

Tertio, continens hic non solum castum, sed et a quolibet alio vitio continentem et abstinentem significat; unde Syrus vertit, *agnovi autem quod non possem domare animam meam*: continentia enim generalis est virtus, qua, ut docet Aristoteles, toto lib. VII *Ethic.*, iram, gulam, superbiam, avaritiam, aedritiam, omnemque aliam pravam

mentis affectionem, sive concupiscentiam, coercoet et refrenat, facillique ut homo in suis actionibus sit moderatus, modumque debitum in omnibus teneat. Hujusmodi autem moderatio est vera sapientia, quam sequenti petit oratione; unde dicit de Sapientia: « Deducet me in operibus meis sobrie, » id est temperate et moderate, ita selicet ut in omnibus modum teneam. Hinc Lyrannus bene exponit, *non possem esse continens a vitio*; et S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. xxix, locum hunc tractans, *continentiam* interpretatur abstinentiam ab omnibus vitis; sic enim Deum alloquitur et obsecrat: « Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod jubes, et jube quod vis. Imperas nobis continentiam. Et cum scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum, Sapient. viii, 21. Per continentiam quippe colligimur et redigimur in unum, a quo in multa deluximus: minus enim te amat, qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. O amor, qui semper nudes et nunquam extingueris, charitas Deus meus, accende me! Continentiam jubes, da quod jubes, et jube quod vis. Jubes certe, ut continentem a concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et ambitione saeculi; jussisti a concubitu, et de ipso conjugio melius aliquid, quam concessisti, monasti. » Similia habet, lib. IV *Contra Julian.* cap. iii, et lib. *De Peccat. merit.* cap. v, et lib. *De Continentia*, cap. i. Porro Aristoteles, lib. VII *Ethic.*, distinguit continentiam a temperantia, quod haec plena et perfecta sit virtus; illa vero inchoata duntaxat, eo quod adhuc versetur in lucta et pugna vitii contrarii, ac eum rebellionem, et quasi seditione passivum confligit. Verum Salomon haec duo non distinguit, sed *continentem* vocat temperantem et moderatum in omnibus.

Et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum. — Ita lege cum Romanis et Graecis, quare minus recte alii legunt, et hoc ipsum erat summa sapientia; alii, sapientia. Pro sapientia, graece est *ἐπιστήμη*, id est prudentia, intelligentia: pro donum, graece est *χάρις*, id est gratia. Castitas enim est donum gratiae Dei, idque unum et maximum, ob ejus difficultatem, et tentationes carnis assiduas et periculosissimas. Quam hoc verum sit docet S. Augustinus, qui, in concubinato et heresi existens, putabat continentiam a concubitu sibi esse impossibilem, eo quod illam quaereret in viribus liberi arbitrii: sic enim ait, lib. VI *Confess.* cap. i: « Proprium virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est, *neminem posse esse continentem, nisi tu dederis*. Utiq; dares, si genuit interno pulsarem aures tuas, et fide solida in te factarem curam meam; » unde idem conversus jam sapientior factus, epist. 143: « Non tantum, ait, in hoc nos adjuvat Deus sua gratia, ut amando

agamus quod discendo jam scimus, sed ut sciamus quid agendum sit. Ita ut nemo possit esse contentus, nisi Deus det, et neque hoc ipsum sciens. » Quin et Cassianus, *Collat.* XII, cap. IV : « Sciens, ait, impurissima colluvionis aspergine ac protinus maculandum, si vel paululum quid ab eo protectio divina discesserit, ac proinde pro perpetuitate ejus cum omni contritione et humilitate cordis indefessis est orationibus exebandam. » Hinc et S. Augustinus eadem epist. 143, docet non tantum in fidelibus, sed etiam in gentilibus, continentiam esse donum gratiæ Dei, affertque exemplum Polemonis, qui, audiens Xenocratæ de abstinentia disserentem, ex ebrioso factus est sobrius.

EX TOTIS PRECORDIIS MEIS. — Græco, ex toto corde meo, id est ex toto cordis mentisque affectu, genui, desiderio et suspirio, additis quoque jejuniis, vigiliis, chameunia, id est humi cubatione (hæc enim carnem macerant, orationem accunt, et ad castitatem disponunt), ait Cantacuzenus. Qui sic serio, ardenter et quasi toto corde petunt a Deo donum castitatis, impetrant; qui vero frigide, dubie et dimidio duntaxat corde petunt, non impetrant, quia impetrare nolunt :

talis ante conversionem erat S. Augustinus, quem audi, lib. VII *Confess.* cap. VII : « At ego adolescens miser valde, miser in exordio ipsius adolescentiæ, etiam petieram a te castitatem, et dixeram : Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo (en cor non integrum, duplicem animum, inconstantem in visis suis, non directum a Deo) : timebam enim ne me cito exaudires, et cito sanares a morbo concupiscentiæ, quam maleham expleri, quam extinguere. » Hæc oratio Salomonis est illa de qua III *Reg.* xxxi, 12. Ex hoc loco discimus eum multis ante diebus in desiderio habuisse, ac in votis sapientiam, eamque a Deo postulavisse; unde in nocte dormienti in Gabaon, volens Deus votis ejus satisfacere, jussit ut peteret quod vellet, et postulavit sapientiam, ut sæpe alias postulaverat, ac data est illi tam eximia, ut præiret omne genus hominum, ut ait S. Hieronymus, in *Eccle.* XII (etsi in cap. II ejusdem libri dicat Salomonem non fuisse sapienterem Abrahamo, Mose et cæteris sanctis, sed in qui fuerunt ante se in Jerusalem), quia « postulavit in fide, nihil hesitans, et postulavit a Deo, qui dat omnibus affluentem, et non improperat, » ut dicit S. Jacobus, *Epist. Cath.* I, 5. Ita a Castro.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

*Oratio Salomonis pro impetranda sapientia, cuilibet religioso et sapientia studioso, præsertim prelato et principi, usurpanda : est enim oratio hæc piis affectibus, æque ac rationibus efficacissimis plena, docens sapientiam esse necessarium, tam ad se, quam ad populum sapienter regendum, eo quod ipsa norit omnia, ac sine ea homo ignorans et imbecillus nihil efficiat, quod feliciter succedat. Videtur hæc esse illa oratio qua Salomon impetravit sapientiam, de qua III *Reg.* III, 9. Ex hac oratione D. Henricus Suso suo anno Domini 1350, conficit Horas de æterna Sapientia, ejus studiosis peritiles æque ac piæ. Exstant inter opera ejus, et in Hort. animæ.*

1. Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, 2. et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, 3. ut disponat orbem terrarum in æquitate et justitia, et in directione cordis judicium judicet : 4. da mihi sedium tuarum assistentiæ sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis : 5. quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum. 6. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. 7. Tu elegisti me regem populo tuo, et iudicem filiorum tuorum et filiarum : 8. et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, et in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio : 9. et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid esset placitum oculis tuis, et quid directum in præceptis tuis. 10. Mitte illam de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut tecum sit, et tecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te : 11. scit enim illa omnia et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia. 12. Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum iuste, et ero dignus

sedium patris mei. 13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? 14. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incerta providentiæ nostræ. 15. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. 16. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt : et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? 17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis : 18. et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didicerint homines? 19. Nam per sapientiam sanati sunt quicumque plauerunt tibi, Domine, a principio.

1. DEUS PATRUM MEORUM, ET DOMINE MISERICORDIÆ, QUI FECISTI OMNIA VERBO TUO. — *Tis meorum* non est in Græco; Holcot legit, *nostrorum*, puta Davidis et patriarcharum, præsertim Abrahamæ, Isaac et Jacob, qui totius Israël, id est *populi fidelis et religiosi*, fuerunt patres, eumque optime et sapientissime rexerunt : qua in re ipse illos imitari cum velit, jure idem sapientiæ donum ab eodem auctore Deo postulat. Rursum hi ob fidem et sanctitatem Deo fuerunt charissimi, adeo ut Deus eorum nomine glorietur, eoque vocari et invocari voluerit, dicens ad Moysen et Hebræos, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. » Atque sic Deus humano generi suum nomen elargitus est, auctore Philone in libro *De Abrahamo*, ut habentes refugium ad preces et supplicationes, a spe bona non excluderentur, tribus illis patribus ob Dei oculos præmissis; quod melius facit nunc nomen Jesu Christi Domini nostri, quo nostras omnes preces claudimus et obsequiamur : nam majorum merita, et præcipue sanctorum, Deo proponere ad postulandum quiddam, consuevere prohi in primis viri : ita Cantacuzenus, a Castro, Pineda et alii. Deus enim pater est pariter Deus filiorum, quos ipse patribus dedit, ut filius propter patrum merita se æque ac patribus Deum propitium exhibeat; præsertim quia id olim ipse promiserat patribus, ut cum dixit Abrahamæ, *Genes.* xvii, 7 : « Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus tuis federe sempiternum : ut sim Deus tuus, et seminis tui post te ; » et *ibid.* xxii, 17 : « Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, etc., et benedicentur in semine tuo omnes gentes. »

DOMINE MISERICORDIÆ. — Vatablus, *beneficentiæ*; Pagninus, *pietatis*, id est summe beneficius, pius, misericors et miserator, qui peccatum homicidii et adulteri patri meo Davidi, et matri meæ Bethsabee misericorditer remisit, ait Lyrannus; unde Lucifer Calaritanus legit, *Domine misericordiarum*. Hoc titulo gaudet Deus, eoque invocatus postulata audit et exaudit : misericordiæ enim proprium opus est miserorum misereri, eisque

opem ferre; atque omnes indigent Dei misericordia, ut eam velut sibi patrocinantem coram Deo allegare possint et debeant : sic pauperes, ut stipem emendicant a divitibus, solent eorum misericordiam et liberalitatem allegare et laudare. Emphasis habet *Domine*, q. d. Tu es Dominus, ac dominaris infinite tæ misericordiæ, æque ac immense miseriæ nostræ; illam ergo velut diffissimus et liberalissimus Dominus in nos eroga, ut miseriæ tante succurras, abyssus enim miseriæ nostræ invocat abyssum misericordiæ tuæ : tu enim es primus et summus omnium elemosynarius, imo « tu es pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, II *Corinth.* I, 3. Rursum, Deus proprie dicitur *Domine misericordiæ*, quia dominium suum ostendit miserando potius quam puniendo, vel aliud quid agendo, juxta illud quod orat Ecclesia : « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas : » patiens enim et clemens est potens ire, animique sui et rerum omnium, ut ostendi *Prov.* xvi, 32, ad illa : « Melior est patiens viro forti. »

QUI FECISTI. — Conciliat sibi hoc versu Dei benevolentiam tribus Dei attributis, scilicet primo, allegando Dei amorem et fidelitatem, quod scilicet sit Deus patrum suorum, quod promiserit se eorum posteris benedicendum, id est benefacturum : rogat ergo ut idipsum nunc fideliter, ac reipsa posteris egenibus et invocantibus præstet, ac amorem, quo prosequitur patres, testetur et extendat in filios; secundo, allegando Dei misericordiam, ut eam sibi misero eam posseuti more suo exhibeat; tertio, allegando Dei potentiam, quod scilicet omnia verbo suo fecerit et creavit, quod scilicet omnia verbo suo fecerit et creavit, ac proinde ei perfecte sit rem hanc petenti annuere. Docet ergo nos hæc tribus titulis stringere, et quasi cogere Deum ad prestandum id quod posuimus : vult enim efficaci ardentique oratione et desiderio stringi et quasi cogi Deus a nobis.

VENIO TUO. — Solo jussu tuo, puta in mente, dicendo : fiat lux, Fiant luminaria, etc., *Genes.* I, 3; mystice, Verbo, id est Filio tuo : per hunc enim Deus Pater fecit omnia : itaque verbum notat tam facilitatem, tam sapientiam, qua Deus cuncta creavit : vide dicta *Genes.* I. Verbum denique, id